

tatione patent fini, eodem indivisibili actu quo tangitur finis, et eodem signo rationis tanguntur media. Tunc enim utrumque necessaria connexionem attingitur, scilicet gloria propter merita, et merita in finem gloriæ: non ergo est necesse distinguere hæc decreta et voluntates.

VIII. Alii per aliud extremum ita multiplicant ordines decretorum in Deo, quod non solum circa diversa objecta, sed etiam circa unum, et idem distinguunt decretum intentionis, et executionis efficacis, v. g. circa gloriam ponunt intentionem efficacem, et etiam efficacem executionem. Quem modum p. Suarez citato loco, numero XIV, indicat sibi placere, ut Deus intendat primo efficaciter gloriam absolute, deinde per alium actum efficaciter velit eammet gloriam exequi, et hic secundus actus supponit merita prævisa, quia Deus non dat executioni gloriam, nisi secundum formam justitiæ, et consequenter ex meritis, et hoc secundum est quod ibi dicit Suarez sibi placere. Primum vero etiam non renuit, cum non neget Suarez, sed potius affirmet cum prima sententia absolutam, et efficacem intentionem dandi gloriam ante prævisa merita. In specie autem illas duas voluntates efficaces circa eandem gloriam distinguit Arrubal hic disp. LXXIV, c. II, quia existimat oriri ex diversis motivis, ut primo Deus ex motivo beneficentiæ, et misericordiæ, seu gratiæ eligat ad gloriam sine apprehensione alicujus debiti, deinde post præscientiam meritorum ex honestate remunerationis, et debito justitiæ vult Deus efficaciter dare eandem gloriam. Hoc autem ideo fecit Arrubal, quia ipse existimat Deum habere intentionem efficacem, et absolutam de aliquo fine, v. g. de gloria, non in se, sed in aliquo medio,

v. g. in gratia congrua, sive efficaci auxilio; et sic intendendo gratis, et ex misericordia sua dare gratiam, in ea vult etiam absolute, et efficaciter dare gloriam ibi inclusam, ex eodem motivo. Non autem concedit Arrubal gloriam in seipsa prædefiniri absolute, et efficaciter antecedenter ad merita, sicut etiam præcedenti disputatione, articulo ultimo vidimus, et impugnativimus ejusdem Arrubalis sententiam de prædefinitione divina, et intentione efficaci circa aliquem finem, ut continetur in aliquo medio. Et per hoc putavit Arrubal se opiniones supra positas aliquatenus conciliare, ponendo prædefinitionem absolutam, et efficacem gloriæ ex motivo gratuito, et ex misericordia, sed non in se, sed in medio aliquo, nempe in gratia congrua, et efficaci, et similiter ponendo decretum dandi gloriam ex titulo oneroso, et post prævisa merita. Ita docet disp. LXVIII et LXXIII et LXXIV.

IX. Tertio, alii auctores defensores scientiæ mediæ conati sunt alia via (videtur ipsis nova et non vulgaris) conciliare primam et secundam sententiam, quibus favet Herice disp. XXIII de prædestinatione, c. XIII et XIV. Et dicunt, quod post scientiam mediæ qua Deus videt ante omne decretum suum cujuslibet auxilii congruitatem, vel incongruitatem, si tali occasione tali voluntati detur, habet Deus decretum quoddam circa gloriam aliquorum, et non aliorum, in quo incipit discernere prædestinatos a reprobis, et hoc decretum est absolutum ex parte Dei, sed conditionatum ex parte objecti, quia amat Deus gloriam prædestinatis sub conditione si detur ex illa vocatio congrua, qua ratione etiam conditionata non amat reprobis gloriam. Et ex hac speciali voluntate conditionata circa gloriam electorum, nascitur alia voluntas dandi ipsis præ-

destinatis de facto, et absolute efficaciter media illa congrua, et consequenter gloriam. Et ita dicunt quod in voluntate efficaci, et absoluta, et quæ præcedit omni conditione purificata, decretum de gloria, supponit merita et voluntatem dandi gratiam. In voluntate autem conditionata dandi gloriam, si adsit vocatio efficax, præcedit voluntas dandi gloriam ipsam voluntatem absolutam dandi merita, et congrua auxilia, et hæc voluntas est propria jam et specialis prædestinatorum, et in ea discernuntur a reprobis, quia est principium virtuale alterius secundi decreti absoluti dandi ipsam gratiam congruam, et media efficaciam. Sed non video quomodo probare possint hi auctores quod sit proprium et speciale prædestinatorum velle illis gloriam sub conditione alicujus auxilii efficaci, et congrui, si eis detur, cum nullus sit reprobis, cui non videat Deus per eandem scientiam conditionatam affuturam fuisse gloriam si eis daretur auxilium aliquod pro illis efficaciam, quod sine dubio videt dari posse. Cur ergo eis etiam non amat gloriam sic sub conditione futuram, cum eis etiam conveniat? Quare in sola illa absoluta voluntate dandi media efficaciam his, et non illis, potest incipere discretio prædestinatorum a reprobis in ista sententia, et hoc est recidere in opinionem Vasquez aut Arrubal.

Denique, alii sic voluerunt componere electionem ante merita, et post merita prævisa, quod quasi patrimonii legitima dividatur, et dicunt quosdam sanctos eligi ante prævisa merita, quosdam post illa. In prima serie ponunt sanctos aliquos excellentissimæ sanctitatis, ut qui fuerint in gratia confirmati, et non fuerit eis liberum ex vi talis intentionis in gratia non perseverare. In hac classe ponit Cathari-

nus B. Virginem, Apostolos, et alios eximie sanctitatis, libro I de prædestinatione Dei, capite ultimo et lib. III, cap. I et II, et aliis locis. At vero p. Lessius disp. de prædestinatione, sect. V, num. LVI ad IV, solam B. Virginem in hac serie numerat, quam docet ante merita prævisa fuisse electam, et præelectam.

In his omnibus non est difficultas de prædestinatione Christi ad filiationem Dei naturalem, et ad gloriam animæ: talis enim prædestinatio ex nullis meritis fieri potuit. Parvuli prædestinantur quidem ad gloriam, etiam sine meritis propriis, sed non sine alienis, quia in sanguine Christi, et ejus meritis salvantur. Unde etiam pro his currere potest difficultas, an Deus incipiat eos discernere a non prædestinatis ex volitione gloriæ absoluta, an ex præordinatione mediorum efficaci, v. g. ex præparatione baptismi, etc.

## ARTICULUS II.

*Mens Augustini et S. Thomæ ex Scriptura.*

I. Tanta auctorum divisio non obscurum signum est aliquid invenisse in fundamento illius primæ sententiæ quod vix possit devorari, et consumi, præsertim in modo loquendi Scripturæ, et patrum, qui electionem ad gloriam gratuitam, et liberalem solent agnoscere; nec potest hoc convenienter explicari, si non invenitur nisi post merita, quæ debiti titulum in gloria inducunt, liberalitatis minuunt. Et præterea, quia inversus ordo non semper visus est in recta, et ordinata providentia, a mediorum positione efficaciam ordinationis accipere, sed executionis tantum: omnis autem executio derivatur ex voluntate

finis, indeque robur, et efficaciam sumit, ex fine autem solum inefficaciter volito, tepida, et frigida executio, et conatus nascitur. Si ergo rectus iste ordo est, ut a fine efficaciter volito, et feruide, eatur ad executionem, quomodo deesse potest in summo ordinatore? Ut ergo a Scriptura incipiamus, aliqua loca sunt, quæ indicant præordinationem circa gloriam antecedere omnem actum nostrum, seu meritum, et omnem gratiæ effectum, licet ab oppositæ sententiæ auctoribus eludi soleant, dicendo, quod vel loquuntur de via æterna, et gloria prius volita, non in se, sed in gratia in qua continetur, ut in semine, vel loquuntur de præordinatione facta ab æterno, quæ habet pro effectu temporalem executionem gratiæ vel fidei, aut vocationis, ipsa autem præordinatio, et electio æterna est de ipsamet gratia, et de ipsamet fide, aut vocatione.

Cæterum si Scripturæ loca diligenter inspiciantur, et conferantur inter se, inueniemus Scripturam ita attingere, et tractare de electione qua prædestinatos, et sanctos eligit Deus, quod etiam illa electio, prout tangit beatitudinem, et non solum ut tangit gratiam dicitur gratuita, et ex gratia, et misericordia Dei facta: ergo præcedere debet merita, nam si solum subsequitur, et post prævisa merita datur, semper illa electio, prout tangit gloriam, et beatitudinem, esset non ex gratia, sed ex debito et iustitia, quia solum tangeretur ut innixa meritis, et in vi illorum data: non ante illa. Et ad hoc suppono negari non posse quod aliquando Scriptura loquitur de electione hominum ad gloriam, et ad vitam æternam, ut erit in patria, et non solum ut est in semine, et in gratia, et in hac vita. Si enim omnia loca Scripturæ explicare volumus de electione ad gratiam, et

nulla loquuntur de electione ad gloriam prout in alia vita, vix restat nobis via ad cognoscendum electionem prædestinatorum ut prædestinati sunt. Patet hoc, quia prædestinati, in quantum tales, eliguntur ad gloriam in se, et non solum in semine, et prout contenta in gratia, quæ datur in hac vita; tum quia eliguntur ad aliquid perpetuo duraturum, quod est gloria, seu gratia consummata; tum quia ad gloriam in semine, id est, ad gratiam, etiam reprobis quandoque eliguntur: omnes enim Angeli, etiam qui ceciderunt, in gratia creati sunt, et status innocentiae gratiam habuit, sed non ille status habuit gloriam; et Judas de gratia apostolatus cecidit, cum fuisset electus ad illam. Prædestinati ergo secernuntur a reprobis, quia eliguntur ad gloriam, ad quam isti non eliguntur, vel ad finalem perseverantiam in gratia, quæ est necessario connexa cum assecutione gloriæ; cum tamen plures effectus ante perseverantiam habeat prædestinatio electorum; et sic si in Scriptura tangitur electio prædestinatorum, ut distinguitur a reprobis, debet utique tangi electio ad gloriam, et non sistere in electione ad gratiam pro hac vita, et prout est gloria in semine, sed ad gratiam, ut in æternum duratura, quæ utique est gratia consummata, et cum gloria.

III. Hoc ergo stabilito, quod a nullo videtur posse negari, formo sic rationem: Scriptura loquitur de electione ad gloriam in se, et prout duratura est in æternum, in alia vita, et non solum prout est in gratia, et in semine in ista; sed in eisdem locis, quibus loquitur sic de ista electione prædestinativa, et ad gloriam in se, significat illam esse gratuitam, et ex voluntate, et gratia mera Dei, quod non potest intelligi de ipsa gloria in executione: sic

enim datur ex meritis, ut corona iustitiæ: ergo intelligendum est de ipsa gloria in intentione, ita quod objectum et materia illius intentionis fuerit gloria danda per modum coronæ, sed motivum proponendi illam fuerit solum divinum beneplacitum, et misericordia, sicut qui vult ex liberalitate exhibere spectacula, in quibus tamen, athletic non vult dare præmia, nisi ob labores. Imo cum in omnium sententia secundum sanam, et catholicam doctrinam finalis perseverantia detur mere gratis, et ex nullo motivo meritorum, nec præcedentium, nec futurorum; sumitur inde sufficientissimum argumentum quod primum motivum proponendi gloriam et eligendi determinatas personas ad illam, fuit mera gratia, et misericordia Dei, non vero præcedentia merita, vel futura prævisa, ut statim ponderabitur.

Minor hujus argumenti, scilicet quod Scriptura loquendo de electione ad gloriam in se, et ut distinguitur a gratia in hac vita, loquatur de electione gratuita, et ex mera gratia, ostenditur. Et in primis occurrit locus ille Joannis I: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia*, qui juxta interpretationem Augustini intelligitur de gratia consummata, quæ est gloria, pro gratia prima quæ est in hac vita: ergo supponitur quod gloria in se, ut distinguitur a gratia, quæ est gloria in semine, etiam gratia est, et gratioso modo datur a Deo, sed non datur in executione, quia sic datur ut corona, et ex meritis: ergo in intentione, quatenus Deus gratuito motivo, et ex pura misericordia voluit beatitudinem de facto esse assequibilem, et perviam aliquibus hominibus per modum præmii, sicut qui ex thesauris suis depromit munera, danda athletic per suam pugnam meritis, illa exhi-

bitio munerum, liberalitas est ex parte instituentis agonem, licet ex parte athletarum per meritum sit acquirenda. Verba Augustini sunt, libro de gratia et libero arbitrio, cap. IX, cum; enim dixisset in calce cap. VIII, quod vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est cui datur, et quod hæc, quia præmium illius est, gratia est pro gratia, ubi clarissime loquitur de vita æterna in se, et formaliter ut distinguitur a gratia, quæ solum in semine est gloria, subdit in capite nono ad hoc magis explicandum sic: « Utrum autem legerimus in Scripturis sanctis gratiam pro gratia, forsitan quæritis, sed habetis evangelium secundum Joannem tanta luce clarissimum, ubi Joannes Baptista de Domino Christo dicit: Nos omnes de plenitudine ejus accepimus, et gratiam pro gratia. Ex ejus itaque plenitudine accepimus pro modulo nostro, quia unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic, et ipsa est gratia, et insuper accipimus, et gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur. De qua dixit Apostolus: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro, cum prius dixisset: Stipendium peccati mors. Ubi cum posset dicere, et recte dicere, stipendium autem iustitiæ, vita æterna, maluit dicere: Gratia Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam, vitam, sed pro sua miseratione perducere. » Ubi pondero apertissime loqui Augustinum de vita æterna, et gloria formaliter in se, non in semine, et gratia: quia loquitur de ea quæ superadditur, et redditur huic gratiæ, quando nobis vita æterna reddetur, hæc autem vita æterna quæ nobis reddetur de futuro, non est vita æterna de præsentibus: hæc

enim etiam nunc habetur : loquitur etiam de illa vita æterna, de qua recte poterat dicere Apostolus stipendium justitiæ vita æterna, hæc autem non est nisi gloria in seipsa, non ut contenta virtualiter, et seminaliter in gratia hujus vitæ : talis enim non est stipendium justitiæ : manifestum est ergo loqui de beatitudine in se. Sed de hac dicit Augustinus, quod dicitur gratia, ut intelligeremus non pro meritis nostris, sed pro sua miseratione Deum nos perducere ad æternam vitam : ergo intelligit dari aliquam efficacem voluntatem dandi gloriam (nempe voluntatem perductivam de facto, quæ utique efficax est) ex motivo miserationis, et gratiæ ; sed hoc non potest verificari de perductione ad vitam æternam in executione : vita enim æterna in executione, non gratis, nec ex miseratione datur, seu non datur gratis, et titulo gratiæ, sed titulo debiti, et ex meritis, et per modum stipendii, sicut recte posset dici ab Apostolo, ut ait Augustinus ; ergo verificatur solum de perductione efficaci in intentione, quia ad intendendum talem finem, ex motivo gratuito movetur Deus, licet in executione non nisi ex justitia illam reddat, quia alius est titulus et motivum intendendi ex parte volentis finem, alius est titulus dandi his, quibus in coronam, et præmium proponitur ; ut statim expendemus.

IV. Dices sensum Augustini solum esse quod Deus perducit ad vitam æternam ex misericordia, quia ipsa bona opera, quibus tamquam meritis ad vitam æternam perducit, ex misericordia Dei sunt : sic enim immediate post illa verba relata explicat Augustinus illud Psalm. cii : *Qui coronat te in misericordia, et miseratione* : « Quod ideo, inquit, dixisse psalmistam, quia ejus miseratione bona operamur, quibus co-

rona reddetur. » Ergo non est sensus Augustini Deum nos perducere sua miseratione ad vitam æternam, quia ex titulo gratuito intendit efficaciter dare nobis gloriam, sed quia largitur sua miseratione auxilia et gratiam, unde reddit nobis ex justitia vitam æternam ; et sic miseratione sua perducit, et non ex meritis, id est, per auxilia gratuito, et ex misericordia data nos ducit.

Cæterum tota hæc responsio sic data, et admissa non onerat, sed firmat rationem nostram. Nam si illa ipsa gloria quæ redditur ut merces et corona, quæ est gloria formaliter in se sumpta, et non solum virtualiter, et ut contenta in gratia, denominari potest data a Deo sine meritis, et ex misericordia, quia in ordine ad illam, seu ad perducendum ad illam dat Deus gratis, et ex misericordia auxilia, et gratiam : ergo bene compatitur titulus gratuitus seu motivum ex misericordia in ipsamet intentione efficaci dandi gloriam in se ipsa ex parte Dei intendenti, cum hoc quod illa gloria detur in executione hominibus secundum eorum merita, ita quod Deus sine meritis moventibus velit dare gloriam hominibus merentibus.

Consequentia probatur. Illa gratuita largitio auxiliorum, et gratiæ datæ prædestinatis in ordine ad consequendam gloriam, sufficiens est ad verificandum, quod illa gloria in se ipsa, et prout pertinet ad alteram vitam, datur ex miseratione, et gratis, et non ex meritis (si quidem ut manifeste ostendimus, loquitur Augustinus de gloria in se ipsa, ut distinguitur a gratia data in hac vita, et de illamet quæ redditur in præmium in alia vita dicit, non ex meritis, sed ex miseratione Dei nos perducere ad illam :) sed non est sufficiens hoc verificari de glo-

ria ipsa, prout in executione datur hominibus : ergo de gloria prout intenditur, et prout est in intentione efficaci, ex parte Dei, et dico intentione efficaci, quia est intentio de voluntate dandi gloriam, non communi reprobis, et prædestinatis, sed prædestinatis tantum, seu his qui de facto salvantur, et quibus datur corona, et præmium.

Minor probatur, quia gloria ut datur in executione, post hanc vitam tantum datur homini merenti, et secundum opera sua facta ex gratia, et tamquam corona justitiæ : ergo non potest verificari quod respectu illius hominis datur in executione gratis, et non ex meritis ; et tamen dicit Augustinus dici gratiam vitam æternam, ut intelligeremus non pro meritis nostris, sed pro sua miseratione Deum nos ad æternam vitam perducere, et de gloria, ut data in executione, non potest verificari ista negativa, quod non perducimur pro meritis ad vitam æternam, cum non nisi pro meritis nobis detur, eamque assequamur, seu ad eam perducamur : ergo loquitur de gloria in intentione, non inefficaci, quia loquitur de illa, quæ datur de facto prædestinatis, et dicit ad hanc nos perducere Deum, non pro meritis, sed ex miseratione : ergo ante merita intendit efficaciter nos perducere ad gloriam.

V. Hinc secundo gradum facimus ad illum locum Pauli ad Ephes. I, quo communiter utuntur auctores hujus sententiæ : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum*

*voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, etc.* Similia fere habet Paulus ad Rom. viii : *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et glorificavit.* In quibus locis perpendimus loqui Paulum de electione, seu prædestinatione ad gloriam, non communi modo reprobis, et prædestinatis, quæ est voluntas inefficax, et ex ea tantum sequitur largitio gratiæ, quæ est gloria in semine, non largitio gloriæ in se, et in fructu : ergo loquitur de voluntate efficaci : hæc enim sola discernit inter prædestinatos, et reprobos. Sic autem loqui Paulum constat ex ipsis verbis textus ; in hoc quidem posteriori loco, quia loquitur de illis filiis adoptivis, inter quos Christus dicitur primogenitus, ipsi autem fratres. Solum autem Christus dicitur primogenitus inter fratres, qui accipiunt hæreditatem, non qui ab illa excluduntur. Et id evincitur ex subjectis verbis, quia hos quos dicit prædestinasse, dicit etiam post vocationem, et justificationem glorificasse. Si autem ly glorificavit intelligitur de gloria in semine, et ut est in gratia, cum per gratiam justificentur homines, idem esset dicere, quos autem justificavit, hos et glorificavit, atque dicere, quos justificavit, hos justificavit per gloriam in semine, quia gloria in semine est gratia justificans in nobis. Loquitur ergo de gloria in se ipsa cujus assecutio ad solos prædestinatos pertinet, ergo loquitur de prædestinatis ad gloriam efficaciter, et ut consequendam in se. Et eodem modo loquitur in priori loco de his quos prædestinavit in adoptionem filiorum, ut essent sancti, et immaculati in conspectu ejus, non ea communi volun-